

loco ad id destinato cum simulatione confessionis, ad inhonesta solicitare, aut verbis, aut signis, aut nutibus, aut tactu, aut per scriptum, vel tunc, vel postea legendum tentaverint, vel illicitos, aut inhonestos sermones, aut tractatus habuerint. Ab hoc autem denuntiandi onere non eximitur sollicitatus, etiamsi, sollicitans Sacerdos erit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium, et pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi pœnitens consenserit, aut non, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluerit, aut sollicitatio non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. (*)

(**) XVII. Ut omnem demum turpitudinis occasionem à Sacri Tribunalis sanctitate averteret idem Summus Pontifex, in eadem Constitutione omnibus prorsus Confessariis, omnem omnino facultatem excipiendi Confessionem personæ complicitis in peccato turpi abstulit, præter casum extremæ necessitatis, et deficiente tunc quocunque alio Sacerdote. (*)

(**) XVIII. Ad vitanda hæc abusionum monstra, plura prudentissimo sane consilio, nuper constituta sunt de confessionum excipiendarum modo. Superpelliceï usum præscribunt præf. Synod. Tolet. an. 1582. Act. III. Decr. 30. alias 31. et Valent. Sess. II. Tit. II. cap. 17. quin et hæc eadem Syn. *ibid.* Confessionalia confici decrevit in quibus apto, et patenti loco confessiones potissimum fœminarum audiri possint. Alphonsus Sapiens Leg. XXVI. Tit. IV. Part. I. mulieres confessionuras non è regione, sed propè Confessarium adesse voluit. Mox laud. Synod. Tolet. Decret. 27. alias 28. Confessionalia ita confici statuit: *ut inter Confessorem, et mulierem pœnitentem honestatis causa ferrea lamina, aut tabella minutis foraminibus pertusa interponatur.* Postremò, ut omnis prava consuetudo penitus eradicetur, et Confessiones tam virorum, quam mulierum, qua par est reverentiâ excipiantur; exstat S. Inquisitionis novissimum Decretum 12. Novemb. an. 1781. quo gravissimis constitutis pœnis Conciliorum hæc de re statuta ad praxim reduci jubentur. (*)

CAPUT SETIMUS.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

I. Extremæ Unctionis ministros Sacræ litteræ *Jacobi V. v. 14.* solos Presbyteros aperte produnt, et ex traditione Ecclesiæ nonnisi Parochus, vel ejus delegatus illam jure administrat. Regulares sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, et sedi Apostolicæ reservatæ, vetantur hoc Sacramentum Clericis, vel laicis ministrare. Clementin. I. de *Privil.* Apud Græcos more ab Ecclesia Latina nunquam improbatò, non Episcopi modo, verum et simplices Presbyteri, ac potissimum Parochi, Sacrum Oleum conficiunt, ac benedicunt: *Goar in Notis ad Rituale Græcorum.* Verùm in Ecclesia Latina ex antiquissima consuetudine nonnisi Episcopi hanc consecrationem, sive benedictionem peragunt.

II. Extrema Unctio quibusnam ministranda sit perbellè exponit I. Syn. Prov. Neap. cap. 18. *Ut autem Sacramentum hoc neque sanis corpore ministrandum est, nec jam jam ingressuris mare ventorum vi turbatum, nec paulo post prælium commissuris, nec capite damnatis, nec denique infantibus nondum rationis usu præditis: ita neque eis denegandum est, quibus, mortifero vulnere accepto, mortis imminet periculum, sive superveniente febre correpti, sive vulnere tantum e vita decedant, etsi nec peccata confessione expiare, nec Eucharistiam sumere poterunt, modo tamen ostenderit signa pœnitentiæ.* Tum *ibid.* Parochis mandat, ut

ægroto, dum integris est sensibus, illud conferant, *nec in eum articulum temporis differatur, in quo infirmus sensu omni caret, speque recuperandæ sanitatis.* (**)

Quo pacto ministranda sit, ac quam reverentiâ Sacrum Oleum deferri, contrectari, et servari debeat optime expressit Andreas Albalatus in Const. Syn. Valent. an. 1255. Constit. de Extrema Unctione: *Omnibus in ægritudine constitutis tradatur a Sacerdotibus, et in Ecclesiis publice prædicetur, et in Sancto die Jovis quilibet Sacerdos Parochialis mittat pro Oleo infirmorum, Catechumenorum, et Chrismate sancto tres ampullas, et cum omni magno honore, et reverentiâ Sanctum Oleum ad infirmum deferatur, et eos ungat Sacerdos cum magno honore, et orationum celebritate, quæ ad hoc sunt institutæ. . . . Illud tamen notandum est, quod istud Sacramentum, tantum præstatur adultis, et sicut Pœnitentiã iteratur, ita et istud Sacramentum.* Id tamen præscribendum voluit Syn. Tarracon. circiter an. 1248. ut *Sacramentum Extremæ Unctionis petentibus libere, et sine pecunia a Sacerdotibus ministretur:* Collect. Cons. Superfl. de *Sacra Unctione ex Lib. I. Cap. un.* (*)

III. Sanctum Oleum ad hoc Sacramentum, et ad Baptismum necessarium quotannis renovandum est, et à Parochis, ne sacrilegio violari possit, ea qua par est, diligentia vasis argenteis bene clausis repositum servandum est, et quidem patenti in loco à cornu Evangelii propè aram maximam clave munito, quæ à solo Parocho servetur: ostiolo verò inscribatur: *Sacra Olea.* II. Syn. Prov. Neap. Tit. III. cap. 6. (**)

Id ipsum penè de Sacri Olei custodia præscriptum est in Syn. Hispal. an. 1512. Cap. L. et Collect. Jo. Teres Lib. III. Tit. XXVI. cap. 1. (*)

IV. Quamvis non eadem semper fuerit Ecclesiæ disciplina, ut hæc, aut illa corporis membra stata lege sacro Oleo, inungerentur; quum interdum aut duntaxat pectus, aut membrum, quòd majori dolore cruciaretur, inungi consuevisse videamus; pluribus tamen ab hinc sæculis mos invaluit, ut oculi, aures, nares, os, manus, tum et pedes, ac renes oblinerentur. Ita Rituale Rom. præscribit: at ibidem subnectitur honestatis ergo in mulieribus renum unctionem esse omittendam, quòd quidem et in viris servandum jubetur, si eo morbo laborat infirmus, ut non sine incommodo moveri possit. Quòd tandem ad formam, qua hoc Sacramentum confertur attinet, ea olim indicativa potius fuisse videtur, licet orationem aliquo modo complecteretur; at deinde in deprecativam immutata est; quam et probavit Syn. Trid. et omninò adhibendam decrevit Sess. XIV. cap. 1. de *Extrem. Unctione.*

CAPUT OCTAVUS.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

(**) I. Conjugium, hoc est pereane maris, et fœminæ contubernium, adeo improbarunt Manichæi, ut illud appellare non duxerint *opus diaboli, scortationem, et impudicitiam negotium.* His edocti Priscillianistæ, in promiscuo mulierum usu tanquam sues volutabantur, ut evincitur ex *Epist. XCIII.* alias XV. Leonis Mag. ad *Turibium Asturic. cap. 7.* Contra quos Patres Toletani in Regula Fidei *Can. XVI.* adjecta Syn. Tolet. I. ita definiunt: *Si quis dixerit, vel crediderit conjugia hominum, quæ secundum Legem Divinam licita habentur, execrabilia esse, anathema sit.* Consoat Syn. Bracar. I. *Can. XI.* *Si quis conjugia humana damnat, et procreationem nascentium perhorrescit sicut Manichæus, et*

Priscillianus dixerunt, anathema sit. Hæretici verò posteriores Lutherus, Calvinus, Kemnitius, et alii Priscillianistarum errorem temperasse visi sunt. (*)

II. Matrimonium ritu ab Ecclesia præscripto legitimè à fidelibus contractum verùm esse novæ legis Sacramentum adversus recentiores hæreticos Synodus Trid. definivit *Sess. XXIV. de Sac. Matr. Can. 1.* tum et Theologi argumentis è Sacris litteris, veterique Ecclesiæ traditione deductis fuse demonstrant. Matrimonium trifariam dividi solet; scilicet, ut aliud sit *Legitimum*, h. e. secundum leges gentium legitimè contractum; aliud *Ratum*, h. e. inter fideles solemnitate ab Ecclesia sancitâ initum; aliud denique *Consummatum*, h. e. ubi matrimonio jam celebrato carnalis inter sponso accesserit conjunctio: *Cap. 7. de Divortii.* (1)

III. Matrimonium ceu novæ legis Sacramentum duobus potissimum constat; scilicet mutuo contrahentium consensu, et Parochi, ac trium, vel saltem duorum testium præsentia. Mutuus consensus, qui et efficiens Matrimonii causa dicitur ab Eugenio Papa IV *in decreto pro Armenis*, necessum omninò non est, ut verbis exprimat; sed satis erit, ubi signis, et nutibus manifestabitur: *Cap. 23. de Sponsalibus.* Quum verò signa haud rarè dubia sint, et æquivoca, hinc nonnisi necessitate quodammodo urgente admittenda sunt. (2) Atque adeo, ut certius de consensu constet, Parochi curent claram, nullisque ambiguitatibus obnoxiam verborum formulam in contractu Matrimoniali adhibere. (**). Et sanè, quantum ad juris rigorem spectat, Ecclesia in contractu Matrimonii verba propriè talia, consensum exprimentia requirit: *Cap. 25. eod. Tit. (*)*

IV. Christus Matrimonii contractum ad Sacramenti rationem elevans ipsiusmet naturam non immutavit; qua de re sicuti ceteri contractus, ita et Matrimonium per Procuratorem rectè perficitur, qui tamen habeat ad hoc speciale mandatum. Quinimmo in *Cap. fin. de Procuratoribus in VI.* singulare quid in hoc contractu decernitur: scilicet ut si dominus mandatum revocaverit, et hanc revocationem tam mandatarius, quam ea, cum qua contractus ineundus est, ignorantes contractum ipsum celebraverint, adhuc tamen nullus est, et invalidus. (3)

V. Matrimonium ex sui natura requirit consensum de præsentia: qua de re, conditione de præterito, vel de præsentia adjecta, Matrimonium validum erit, vel nullum, quoad adjectæ conditionis veritas constabit, vel falsitas: indè enim de consensu, utrum adfuerit, an defuerit, rectissimè judicatur. Tum conditione de futuro adjecta contractus Sponsalium potius est, quam Matrimonium; Gonzalez *ad Cap. 5. de Conditionibus adpositis n. 6.* Unde conditione impleta novus requiritur consensus, præsertim post Syn. Trid. sanctionem, coram Parocho, et testibus renovandus. Jam verò quum ex ejusmodi conditionatis matrimoniis quam plurimæ exoriri possint implicatæ quæstiones, meritò quidem vetita sunt, neque à Parocho, ut coram se contrahantur, admittenda. (**). Id tamen animadvertere placet, conditionem turpem, aut impossibilem, si Matrimonii contractui inseratur, haberi pro non adjecta; si contra ipsius Conjugii substantiam, nullum reddere Matrimonium. *Cap. fin. de Condit. adposit. (*)* (4)

VI. Cultus, quem filii familias parentibus debent, requirit, ut in matrimoniis ineundis parentum quoque exquiratur consensus; qui tamen ubi deesse contingat, matrimonium invalidum non erit: Syn. Trid. *Sess. XXIV. Ref. Matrim. cap. 1.*

(1) ¶ Consonant hic LL. I. et VII. tit. II. part. IV. ex quibus habetur definitio matrimonii ejusque vis. ¶

(2) ¶ LL. V. et XV. tit. II. part. IV. ¶

(3) ¶ Constat ex lege V. in fin. tit. II. part. IV: ex arg. leg. I. tit. I. ipsius part. ¶

(4) ¶ Habetur idem in legg. V. et VI. tit. IV. part. IV. ¶

Atqui ejusmodi matrimonia sine consensu parentum Ecclesia justissimis ex causis meritò semper est detestata: Syn. Trid. *ibid.* Adhæc Principes etiam suis legibus illa gravibus intentatis pœnis prohibuere. Unde jure Neapol. Filii familias vetantur Matrimonia insciis parentibus inire; (**). et etiam jure Hispano: de quo sequenti Tit. (*)

VII. Ex antiquissima Ecclesiæ disciplina Matrimonia nonnisi coram Episcopo, vel Sacerdote celebranda. Tertull. *Lib. de Pudicitia* conjunctiones occultas, id est non priùs apud Ecclesiam professas, mœchias, et fornicationis nomine suspectas traducit. Atque adeo ante Tertull. S. Ignatius Martyr *Ep. ad Polycarpum* scripserat: *Decet vero, ut ducentes uxores, et nubentes cum Episcopi arbitrio conjungantur, ut nuptiæ juxta Domini præceptum sint, non autem ad concupiscentiam.* Idipsum secutis temporibus non modò Canones Ecclesiastici, verùm et Sanctiones Civiles præscripsere, et quidem jure meritissimo ob gravia, quæ ex clandestinis conjugiiis ut plurimum mala exoriri consueverunt. (**). Porro Andreas Albalatus in *Constit. Syn. an. 1255. Constit. de Matrimonio* ita hac de re sanxit; *Prohibeant Sacerdotes, ne fiant clandestina Matrimonia, nec dent sibi ad invicem fidem de contrahendo Matrimonio, nisi coram Sacerdote, et coram pluribus hominibus, quia ex hoc multa mala consueverunt evenire.* Consonat Syn. Salmant. an. 1335. *Cap. IX. Arandensis an. 1473. Cap. XVII. Hispalens. an. 1512. Cap. VI. et XXXIV. Jacobus II. Aragoniæ Rex an. circiter 1321.* capitali sententia puniendos sanxit clandestina Matrimonia contrahentes: Ex Mss. Archiv. Barcinon. Ferdinandus V. Castellæ Rex an. 1505. et Philippus II. an. 1563. clanculum contrahentes relegandos, ipsorum bona Fisco adplicanda, eosque à parentibus hæreditatis jure expoliari posse decrevere: *Leg. I. Tit. I. Lib. V. Novæ Recopilationis. (*)*

VIII. Quum verò repetitæ hujusmodi leges satis non essent refrænandæ hominum cupiditati, Syn. Trid. ut efficacius tanto malo remedium adhiberet *Sess. XXIV. Ref. Matr. cap. 1.* in hunc modum sanxit: *Qui aliter, quam præsentia Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere adtentabunt; eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: et hujusmodi contractus irritos, et nullos esse decernit, prout eos præsentia Decreto irritos facit, et annullat.* Igitur Matrimonia clandestina, quæ olim vetita tantummodo erant, jure novissimo nulla etiam sunt, et irrita. (1)

IX. Ubi vir, et mulier in diversis Parochiis degant, licet Syn. Trid. non definerit coram quo Parocho Matrimonium celebrandum sit, tamen ut plurimum ex peculiaribus locorum Statutis coram Parocho mulieris Matrimonia celebrantur: I. Syn. Prov. Neap. *cap. 40.* Tum nonnisi Parochus domicilii ad Matrimonium legitimè advocatur: scilicet Parochus illius Parochiæ, in qua mulier juxta communem, ac vulgarem loquendi modum domicilium habere censetur: quamvis non ita fixum, ut perpetuò ibi manere intendat. Et ubi in duabus Parochiis ita inhabitet, ut in utraque ex æquo domicilium habere censeatur, poterit ex duobus Parochis alterutrum seligere.

X. Vagos quod spectat, qui proprium domicilii Parochum non habent, ex Syn. Trident. præscripto 1. haud facilè ad matrimonia admittendi. 2. Parochis cavendum, ne illorum matrimoniis intersint, nisi priùs diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. 3. Ubi alteru-

(1) ¶ Vid. Conc. Mexic. III. lib. IV. tit. I. § III. ¶

ter ex exponsis fixum alicubi domicilium habeat, coram hujus loci Parocho matrimonium est contrahendum; eo quod sic Tridentino decreto satis fiat, quod proprii Parochi praesentiam requirit. Porro 4. ubi uterque sponsorum revera vagus sit, ac neuter proprium ulla ratione Parochum habere videatur, attamen coram Parocho omnino Matrimonium est contrahendum, ut validum sit. 5. Demum vagi ad Matrimonium non admittendi, nisi saltem adtestationibus Pastorum, ubi novissimam sedem habuerint, probent se omni matrimonii, aut sponsalium vinculo esse solutos. (**). Idem fere intelligas de exteris, et ignotis hominibus, quos non temerè ad Matrimonium admittendos, nisi de eorum libertate, et denunciatis quoque in sua fuisse Parochia, et Diocesi constiterit: laud. Syn. Hispal. Cap. XXXV. *Ordinarius vero* (subjicit Syn. Valent. an. 1565. Sess. II. Tit. II. cap. 26. alias 29.) *nisi praecedente informatione, qua de personarum qualitate, et statu certior fiat, eam facultatem nemini concedat. Cujus informationis, et causae examinis Notarius in ipsa facultate mentionem faciat, alioqui multandus omnibus impensis, quae in negotio tractando ob ipsius incuriam fient. Parochus qui hoc decreto non paruerit, decem libras solvat.* (*)

XI. Parochus alteri Sacerdoti facultatem adstipendi Matrimonio, sive scripto, sive voce delegare potest: at verò requiritur, ut id speciatim exprimat: (**). id quod praescripsit Jo. Archiepiscopus Tolet. in Syn. an. 1323. *Cap. XII.* ut Parochus alteri possit Missae nuptialis celebrationem delegare, (*) adeo ut ex nonnullorum sententia satis data non censeatur, si Parochus generatim alicui det facultatem omnia Sacramenta administrandi. Episcopus etiam non modò ipse matrimonii per universam Diocesim adstipere potest, verum et alteri etiam Sacerdoti id committere non vetatur, et quidem etiam invito Parocho: id quod non nisi rarè et gravi urgente necessitate faciendum, ne videatur Parochus veluti jure suo expropriari. (**). Inquiri solet, utrum Parochus Matrimonii celebrationi adstet uti testis, an uti Sacramenti Minister? Guillelmum quondam Parisiensem primum fuisse autumant, qui eum esse Ministrum existimaverit. Dein Catharinus, Cajetanus, ac Melchior Camus eandem aperto Marte sententiam propugnarunt; hodie tandem opinio haec pluribus, et non infimi subsellii Theologis, ac Canonistis adridet. Nobis verò ab hac disceptatione, uti non omninò necessaria, supersedere satius visum est. Id unum adserere liceat, testimonia, quibus hujus sententiae patroni ducuntur, tanti non esse momenti, ut ex eis dirimi controversiam posse censeamus. (*)

XII. Tres quoque, aut saltem duo testes requiruntur, qui Matrimonio simul praesentes sint, ut Matrimonium sit validum ex ejusdem Trident. praescripto. Quum verò Tridentini Patres nullam testium qualitatem expresserint, hinc communiter tradunt Canonistae quoscunque testes admitti posse, modo mentis compotes, atque intelligendo sint, quid agatur. Neque enim satis est, ut Parochus, ac testes corporaliter sint praesentes, sed moralis etiam eorundem praesentia requiritur, scilicet ut sciant, et intelligant, quid agatur, ipsorumque testimonio Matrimonium probari possit, (**). uti ait praef. Syn. Arand. *ibid.* (*) Qua de re I. Conc. Prov. Neap. *cap. 40.* Parocho injungit, ut librum habeat, *in quo conjugum, et testium nomina, cognomina etiam, patriamque, diem et locum contracti Matrimonii, describat, quem diligenter apud se custodiat.* (**). Eadem sancita sunt à Trid. *Sess. XXIV. Ref. Matrim. cap. 1.* et in Collet. Jo. Teres *Lib. III. Tit. XXV. cap. 4.* (*)

ARTICULUS I.

DE RITIBUS SACRAMENTI MATRIMONII.

XIII. Matrimonium peculiaribus quibusdam sacris ritibus jam indè ab antiquis Ecclesiae temporibus celebrari consuevisse tum ex pluribus constat, tum vel maximè ex nuper indicatis S. Ignatii, et Tertulliani locis. Praecipui sunt 1. ut in Ecclesia celebretur: Capitularia Reg. Franc. *Lib. VII. cap. 179.* et licet Syn. Trid. ac I. Prov. Neap. tantummodo de benedictione in Ecclesia suscipienda loquantur, ex antiqua tamen consuetudine pluribus Synodicis Constitutionibus firmata ipsamet Matrimonia non nisi in Ecclesia, quae Sacramentorum proprius locus est, contrahenda: Syn. Dioces. Neap. an. 1694. *Part. II. cap. 9.* aliaque antiquiores *ibid.* indicatae. (**). Ita constituit praefata Syn. Valent. *Sess. II. Tit. II. cap. 22.* alias 23. quin et laud. Syn. Hispal. *Cap. XX. Praecipimus, ait, ut nullus Presbyter audeat administrare Matrimonia extra Ecclesiam Parochialem sub pena mille marapelinorum; et sit suspensus a celebratione dictorum Matrimoniorum ad annum; mandamusque, ut nostri Provisores non concedant ad hunc effectum licentiam absque nostro* (Archiepiscopi scilicet Didaci Deza pro tunc) *speciali mandato.* (*)

2. Sponsos jam Ecclesiam ingressos Parochus, postquam paucis de indissolubili matrimonii vinculo, aliisque Matrimonii oneribus admonuerit, eosdem formula Rituali Romano praescripta interroget sigillatim de consensu, quem clara, et intelligibili voce etiam sigillatim pronuntiabunt.

3. Data sic utrinque à Sponsis fide, iisdemque dexteris invicem jungentibus Parochus formula eodem Rituali praescripta eosdem conjungit dicens: *Ego conjungo &c.*

4. Tum Parochus benedicit anulum, et aqua benedicta aspergit, quem Sponsas de manu Sacerdotis acceptum imponit in digito annulari sinistrae manus Sponsae, Sacerdote dicente: *In nomine Patris &c.* Antiquissimum in Ecclesia Anuli nuptialis usum demonstrant vetusta Ecclesiae monumenta apud Baronium *an. 57.*

5. His expletis, si benedicendae sint nuptiae, ex Rituali Rom. Parochus Missam pro Sponso, et Sponsa celebrat, quae binas orationes post Orationem Dominicam, et alteram ante Populi benedictionem super Sponsos Deo fundendas continet, quae benedictionis loco sunt. Verum in quibusdam Provinciis Nuptiarum benedictio Missam praecedit, quem morem Syn. Trid. non improbat: namque *ibid. cap. 1.* haec habet: *Si quae Provincia aliis ultra praedictas laudabilibus consuetudinibus, et caeremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri S. Synodus vehementer optat.*

6. Dein Sacerdos sermone gravi Sponsos moneat, ut sibi invicem serrent fidem: orationis tempore, ac praesertim jejuniorum, et solemnitalum casti maneant: et vir uxorem, atque uxor virum diligat: et in timore Dei permaneant. Postea eos aspergat aqua benedicta, et dicto Placeat tibi S. Trinitas, det benedictionem. Missalem Romanum ad calcem Missae pro Sponso, et Sponsa.

7. Demum Parochus manu sua describat in Libro Matrimoniorum nomina conjugum, et testium, aliaque, uti nuper ex Syn. Prov. Neap. (**). et Hisp. observavimus. Id nobis animadvertere lubet, ut quia non ita pie, uti expediebat, de hujus Sacramenti dignitate sentiunt plerumque abjectae plebis homines, doceant ca-

rati plebes sibi commissas, quantum et Auctoris majestate, et temporis vetustate Matrimonium commendandum sit. . . . Quod in lege Evangelicâ a Christo Domino confirmatum, et ejusdem Legis Sacramentum institutum, digne accedentibus ex ipsa Sacramenti ratione gratiam confert. . . . Doceant ergo non esse utcumque ad hoc Sacramentum accedendum, sed ea, qua decet, animi præparatione, ac proinde eos hortentur, ut antequam verbis de præsentî contrahant, vel saltem ante nuptialem benedictionem, quam extra Parochialem Ecclesiam sumere non debent, peccata sua diligenter confiteantur, et Sacram Eucharistiam pie, ac sancte suscipiant. Syn. laud. Valent. Sess. II. Tit. II. cap. 22, alias 23. in quo nihil quod ad hujus Sacramenti doctrinam spectet, omissum, relictumve videtur. (*)

ARTICULUS II.

DE SPONSALIBUS.

XIV. Matrimonium debent præcedere Sponsalia; promissio scilicet solemnîs, et jurata de matrimonio, quandocumque alteri id placuerit, ineundo; unde dicuntur Sponsalia de futuro, quum aliquando ipsum Matrimonium Sponsalium nomine designatum occurrat, adjecta tamen distinctionis gratia vocula *de præsentî*. Sponsalia non clandestinè, at publicè, hoc est coram Parocho alterutrius conjugis ineunda: porrò ut plurimum coram Parocho sponsæ iniri solent: id quod Neapoli (***) et in Hispania obtinet, quod vulgo dicitur; *Tomar el dicho*. (*) Verùm si clandestinè celebrentur, licet illicita, tamen sunt valida. Neque enim ut valida sint aliud requiritur præter consensum externè sufficienter expressum. (1)

XV. Sponsalia diu ante Matrimonium celebrari possunt, imò etiam inter impuberes, modo infantiam egressi consentire possint. Verùm hodie Sponsalia saltem publica inter impuberes sine Superiorum licentia non admittuntur; quinimmo jure Neapolitano vetiti sunt filii familias etiam sponsalia injussu parentum inire. (***) In Regno Hispano vetantur juvenes, quicumque illi sint, utriusque sexus, infra viginti quinque ætatis annos, etiam sponsalia absque parentum, vel tutorum, aut provecctæ ætatis consanguineorum adsensu contrahere ex Pragm. Sanct. 23. Martii an. 1776. §. I. et II. de quo infra sequenti Tit. (*) (2)

XVI. Effectus Sponsalium est, ut si promissio reciproca fuerit, vel in scriptis redacta, pars deficiens coram Judice Ecclesiastico conveniri, et ad pœnam canonicam condemnari possit. (***) Syn. Illiberit. *Can. LIV.* sponso, vel eorum parentes, qui fidem fregerint Sponsalium triennii excommunicatione punit, et Siricius in Epist. ad Hicmer. *Tarracon. Cap. IV.* voluntariam sponsaliorum dissolutionem instar sacrilegii crimen appellat, nisi dicas in utroque loco agi de contractu per verba de præsentî; id est de Matrimonio: non de contractu per verba de futuro, hoc est de eo contractu, quem nos vocamus sponsalia; de quo non disputamus. (*) Porrò ubi ex ejusmodi Matrimonio ad quod alterutra pars per censuras compelli potest, gravia oritura mala timeantur, Judici Ecclesiastico satius erit ab censuris abstinere.

XVII. Sponsalia 1. mutuo consensu uti contrahuntur, ita quoque dissolvuntur, tametsi juramento firmata sint; juramentum enim ipsam naturam contractus non

(1) Lex I, tit. I, part. IV.

(2) Vide accuratissimè leg. XVIII, tit. II, Lib. X, Nov. Rec. quæ recentissima numeratur inter cæteras de regulis loquentes, quibus contrahentes matrimonium subijci debent.

immutat. Porrò Sponsalia impuberum, neque mutuo consensu dissolvuntur, nisi postquam ad annos pubertatis pervenerint: *Cap. 8. de Despons. impuber.* (1)

Adhæc 2. dissolvuntur etiam sponsalia matrimonio cum tertia persona contracto: *Cap. 22. de Sponsalibus.* Verùm si tertia hæc persona moriatur priore adhuc soluta, Sponsalium obligatio ex parte illius, qui promissis non stetit, reviviscit: Zipæus in Jure novo *Tit. de Sponsalibus.*

3. Professione religiosa, atque adeo etiam solo in Religionem ingressu: *Cap. 2. de Convers. Conjug.* Id quod de parte non ingrediente Religionem tantummodo intelligas, cui liberum est, cum altera contrahere: pars enim, quæ Religionem ingreditur, si eam deserat, iterum Sponsalium promissione obligatur: Andreas Valensis in *Notis ad hunc Tit.*

4. Morbo immedicabili, et contagioso alterutrius partis, sive morbus Sponsalia præcesserit, et ignotus fuerit, sive post Sponsalia supervenerit, licet Sponsalia juramento firmata fuerint: *Cap. ult. de Conjug. lepros. Cap. 25. de Jurejurando.* Idem prorsus de superveniente infamia, deformitate, aut etiam paupertate intelligas.

5. Fornicatione, vel Stupro à sponsa admissio: *eodem Cap. 25.*

6. Demum Sponsi in longinquas regiones per diuturnum tempus abscessu: *Cap. 5. de Sponsalibus.*

XVIII. Jam verò illud hic omninò animadvertendum in modo indicatis infamiae, morbi, paupertatis, stupri, aliisque supervenientibus *circumstantiis* dissolvi quidem Sponsalia ex parte illius, cui hæc non contigerit, haud verò ex parte alterius. Unde si sponsa consenserit contrahere cum sponso cui supervenerit infamia, deformitas, &c. hic omninò promissis obligabitur. (***) Parochis tamen sedulo cavendum est, ne sponsi de futuro, ante contractum reipsa Matrimonium per verba de præsentî, sub eodem tecto habitent; id enim uti proximi criminis periculum veterunt complures Syn. Diæces. et Jo. Teres in Syn. *Tarracon. Compilat. Lib. IV Tit. I. cap. 2.* (*)

ARTICULUS III.

DE PROCLAMATIONIBUS.

XIX. Propiorem Matrimonio viam parant *Proclamationes*, quarum vestigia occurrunt apud Tertullianum *de Pudicitia cap. 4.* Concilium Lateranense IV. easdem Matrimonio omninò præire jussit: *Cap. 3. de Clandest. Despons.* Constituit enim, ut *quum Matrimonia fuerint contrahenda in Ecclesiis per Presbyteros publice proponantur, competenti termino præfinito, ut intra illud, qui voluerit, et valuerit legitimum impedimentum adponat;* (***) et laud. Andreas Albalatus loco cit. decrevit, *quod per octo dies ante dicat Sacerdos in Ecclesia sub pœna excommunicationis, quod talis vult ducere talem in uxorem. Et si sciunt impedimentum consanguinitatis, vel adulterii, vel adfinitatis carnalis, vel spiritualis, veniant coram eo, alias peccarent mortaliter. . . . Et Sacerdotes querant ad ostium Ecclesie si est aliquis, qui sciat impedimentum, et si dicatur non, desponset eos per verba de præsentî.* Postremo Syn. jam præf. Salmant. cap. eod. *Vannia autem in Jure contenta fieri volumus isto modo; quod contrahentes, vel veniant ad Ecclesiam; vel Ecclesiam foris ipsius, videlicet in Missa. aut debita*

(1) Legg. VI. et VIII. tit. I. part. IV. quibus omnes casus supra sequentes comprehenduntur.

hora Missæ ibidem populo congregato, prædicta Vannia, ut est juris per Presbyterum publicentur. (*) At disertius Trident. Sess. XXIV. Ref. Matrim. cap. 1. sanxit, ut ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum. (1)

XX. Ubi sponsi diversæ sunt Parochiæ, in utraque Proclamationes, sive denuntiationes faciendæ sunt: *Nec in Matrice tantum Parochia, sed etiam in qualibet alia, ubi Populus aderit frequentior, inter Missarum solemnia Parochus denuntiet, inter quos sit matrimonium contrahendum.* I. Syn. Provinc. Neap. cap. 40. *In Populi Conventu ab ipsis Parochis clara voce Matrimonium contrahendum proclametur, et nomina denuntiatorum in valvis Ecclesie adfigantur.* II. Syn. Prov. Neap. Tit. III. cap. 9. Denuntiationes quandoque convenit omittere: id quod Ordinarii prudentiæ arbitrioque relinquunt: Syn. Trid. *ibid.* (**) *Eorum enim, qui Matrimonium contrahere volunt, denuntiationes, non in alterius tantum, sed in utriusque Parochiis fiant, in quibus vel nati sunt, vel diuturnum domicilium constituerunt; et omnino ubi eorum conditio, et mores erunt notiores. Eas tamen publicas denuntiationes, vel differre, vel omittere nulli Parocho liceat, nisi ex solius Episcopi, non autem Vicarii etiam Generalis auctoritate:* Syn. Provinc. Tolet. an. 1582. Act. III. Decret. 47. alias 48. Hodie tamen solius Vicarii Generalis auctoritate, vel omnes, vel earum aliquæ denuntiationes dispensantur. (*)

XXI. Ut dubitationibus, quæ, ex domicilii mutatione suboriri solent, consulatur, in eadem Parœcia tres ejusmodi proclamationes ne fiant, nisi uterque, vel alter sponsus saltem quatuor ante mensibus ibi domicilium collocarit; breviori autem elapso tempore una quidem in ea, ad quam recens commigrarunt; duæ reliquæ, unde discesserunt, peragantur: II. Syn. Prov. Neap. *ibid.*

XXII. Post ultimum denuntiationum diem de diebus, quibus hæ factæ sunt, tum et de nominibus, cognominibus, patria, et contrahere volentium Parochia, deque impedimentis, si quæ fuerint opposita, Parochus fidem faciat. Si verò post denuntiationes intra bimestre tempus nec ipse ut fidem faciat fuerit rogatus, nec matrimonium celebratum fuerit, denuntiationes denuo fiant, nisi aliter Ordinarius censuerit: Utraque Syn. Provinc. Neap. *ibid.* (2)

XXIII. Unicus Proclamationum *fnis* ille est, scilicet ut impedimenta, si quæ revera sint, detegantur; qua de re graviter monendus est populus, ut illa Parocho, vel Ordinario manifestare non renuat, (**) quatenus gravissima, quæ ex impedimentorum reticentia sequuntur damna, gravem arguunt illa detegendi obligationem. (*) *Penas in sua Diœcesi constitutas, aut constituendas incurrat quisquis, aut falsum impedimentum imposuerit, aut verum sibi compertum reticuerit:* II. Syn. Provinc. Neap. *ibid.* Postremo Parochus *Matrimonium in Ecclesia publice per proclamationes non denuntiet, nisi prius Sponsorum voluntatem, et libere præstandum contrahendi Matrimonii consensum exploret: simulque eos de Fidei rudimentis percontetur: quos si minus instructos deprehenderit, sedulo erudire non negligat:* eadem Syn. Neap. *ibid.*

(1) Conc. mex. III, Lib. IV, tit. I, § IV, et Lex I, tit. III, part. IV.

(2) Denuntiationibus deficientibus, Siquis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere presumpserit, separetur, et spe dispensationis consequendæ careat, idque multo magis in eo qui consummare ausus fuerit. Conc. Trid. Sess. XXIV de reform. matrim. Cap. 5. vide etiam leg. IV, tit. III, et leg. II tit. XV, part. IV.

CAPUT NONUM.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

I. Impedimenti vocabulum hic ea notione usurpamus, quæ significat quidquid matrimonium irritum reddit, vel illicitum. Jam porrò ex impedimentis alia matrimonium non nisi illicitum faciunt, at contractum non dirimunt, ea propter *impedientia* appellata; alia verò etiam invalidum, irritum, sive nullum reddunt, quæ *dirimentia* vulgo nuncupantur.

II. Impedimenta Matrimonii alia jure naturæ constituta sunt, alia jure positivo civili, vel Ecclesiastico, alia demum ex ipso nubentium facto oriuntur. Synodus quidem Tridentina Sess. XXIV. de Sacram. Matrim. Can. IV. definivit: *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.* At verò quum in Matrimonio, et ratio Sacramenti inspicere possit, et ratio Contractus civilis, hinc nonnulli ceteroquin gravissimi Theologi, et Canonistæ docent, posse Principem *Secularem ex genere, et natura suæ potestatis matrimonii impedimenta dirimentia fidelibus sibi subditis, ex justa causa suis legibus indicare:* Ita Thomas Sanchez de S. Matrimonii Sacramento Lib. VII. Disp. III. n. 2. quin et *ibidem* subnectit: *Nec obstat Principis Secularis potestati, matrimonium esse Sacramentum. Quia ejus materia est contractus civilis, qua ratione perinde potest illud ex causa justa irritare, ac si Sacramentum non esset, reddendo personas inhabiles ad contrahendum, et sic illegitimum, et invalidum contractum.* Tum et aliam addit rationem *ibid.* scilicet: *Quum potestas Regia ad tranquillitatem, et bonum Reipublicæ tuendæ sit potissimum instituta, ejus est id, quod ad hunc finem obtinendum desideratur, providere. Quale est circa Matrimonia ineunda sancire, illa impediendo, et irritando. Inde enim maxime pendet tranquillitas, et recta Reipublicæ gubernatio. Quare egregie D. Thomas IV. contra Gentes cap. 78. et Lib. IV. Sentent. Distinct. XXXIV. quæst. un. art. 1. ad 4. dixit; matrimonium in quantum contractum civilem in officium communitatis institutum subjacere legis civilis Ordinationi: Eandem sententiam tuetur Petrus Soto Lect. IV. de Matrimonio, qui et ipse eam ex D. Thoma hausisse videri vult ob hæc Angelici Doctoris verba modo indicato Lib. IV. contra Gentes cap. 78. In quantum igitur ordinatur ad bonum naturæ, quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem a natura inclinatum in hunc finem, et sic dicitur esse naturæ officium: in quantum vero ordinatur ad bonum politicum, subjacet Ordinationi legis civilis; in quantum igitur ad bonum Ecclesie ordinatur, oportet ut subjaceat regimini Ecclesiastico.* Tum et Christianus Lupus Dissert. I. Procem. cap. 10. Tom. IV. Schol. in Canones, cujus hæc sunt verba: *Etenim matrimonio, quod non solum Christianum Sacramentum, sed et civilis contractus sit, dirimentia impedimenta statuere, dudum sibi adrogarunt, ac reservarunt Christiani Romanorum Augusti.* Idem pluribus demonstrant Schol. in. Can. XI. Concilii Romani habiti sub Nicolao II. et quidem tum ex legibus Imperatoriis, tum etiam ex monumentis Ecclesiasticis: dein concludit: *Antiquitus Laicus Princeps impedimenta matrimonii uti constituebat, ita et dispensabat. . . . et hoc jure Occidens dudum vixit. Etenim apud Aurelium Cassiodorum exstat solemnibus formula, qua Occidentis Princeps etiam tunc solebat Consobrinis ineundi conjugii facultatem, seu dispensationem rescribere, ac impertiri. Donibus Cardinalis Cæsar Baronius existimat Conso-*